

## De libris a Richardo Benteio ad Terenti fabulas emendandas adhibitis commentationem

scripsit

**J. Brix,** Lusatus.

**M**ultum districto tum aliis negotiis frigidiusculis tum docendi munere pergrato paene incommodistica, ut Plautino verbo utar, evenit mihi sera scholastici commentarioli componendi invitatio: ne tamen honesto officio deessem, ex inexhausta illa scribendi materia, quae est de comicis Romanorum poetis, particula aliqua decerpta, de Bentei codicibus Terentianis exponere placuit. Atque in duo genera vel quas vocant familias Terenti libros scriptos superstites discedere partimque ante Calliopi operam exaratos, partim ex ipsa eius recensione ductos esse nunc satis constat inter viros harum rerum peritos. De Faerni codicibus tres sunt, Bembinus, Victorianus, Decurtatus, qui longe antecesserunt Calliopium; reliqui et illius et Bentei omnes ipsa fere subscriptione se produnt post Calliopium exaratos, cf. Lengi editio Terenti fabularum p. 491 et Ritscheli in indice scholarum univers. Vratisl. hiem. 1838. Ipsi vero Calliopini codices, pro diversis terris, in quibus asservantur, nimium quantum inter se discrepant, ut saepe Bentei Anglicos Mss. prorsus aliam scripturam exhibere videas atque Italicos Faerni, cuius rei documento sit versus Eunuchi 3, 4, 7 ubi Bembinus

Idque ádeo visam, sí domist . . .

Anglici (et, ut videtur, Germanici, certe Halensis) summo consensu:

Ibo ád eum, visam . . .

Alios versus, in quibus utriusque familiae scripturae nullo pacto consociari possunt, hosce appono: Eun. 2, 3, 95; 3, 5, 45; 4, 4, 17; 5, 6, 9; 5, 8, 57 et 63; Adel. 3, 2, 37 et 44; Phorm. 4, 4, 8; 5, 6, 40, ubi scripturae, quae a Faerno et Benteio (quocum Lengius semper coniungendus, cum Benteius parum diligens testis sit) excussae sunt, hanc rem extra dubitationem ponunt.

Cum iam Bembinus iure habeatur longe praestantissimus inter codices Italicos, apparet quanti referat alterius quoque familiae caput indagasse. Sed Boettigerum quidem, qui olim in opusc. p. 242 Cantabrigiensem illum codicem, quem Academicum nominat Benteius, fontem et caput reliquorum pronuntiavit, sine dubio fefellit opinio, cuius iudicii rationes infra expromam. Res autem longius repetenda est, quam Boettigero videbatur.

Primus nobis codicum Anglicorum copiam fecit Lengius, praesul Norvicensis, qui ad Terentium edendum iagentem scripturae discrepantis suppellectilem cum ex codicibus a Faerno, Fabricio, Rivio, Parco adhibitis, tum ex Anglicis libris nemini antea consultis congressit et in Bibl. Aulæ D. Catharinae conservandam curavit, unde maligna manu pauca tantum in editionem ipsam, quae anno 1701 Cantabrigiae prodit, transire passus est. Ibi Anglicorum quidem codicum, nam ceteros nihil iam moramur, hi sex nominatim allati sunt:

1. Codex Collegi Corporis Christi (C. C. C.)
2. Cod. Petrensis (i. e. Collegi Petri Cantabrig.)
3. Cod. Bibl. publ. Acad. Cantabrig.
4. cod. Regius.
5. cod. Shippeni.
6. cod. Dunelmensis.

Priores quatuor Mss. paucis ipse Lengius describit in praefat. p. 475, cod. Regium, cuius discrepantem scripturam Bentlei beneficio acceperat, commemorasse satis habet, de Academico ne verbum quidem facit. Praeterea utebatur sex libris Bibl. Bodl. oxon. et duobus, quos supeditabat bibliotheca Johannis Moor, qui non sunt libri impressi, ut Ritschellius l. l. p. 5. putabat, sed scripti, ut ipse Lengius p. 520 fin. testatur.

Has Lengii copias in Bibl. Cathar. depositas postea utendas accepit Harius anno 1724, sed, quod dolendum est, nihil prorsus inde in eius editionem manavit. Biennio post Bentleius praeter Lengii libros alios quoque sibi paravit, cod. Academicum 900 annorum, codices Meadianos, aliquot Regios. Iam si quis quaerat, utrum Bentleius codices Lengianos de novo inspexerit, an tantum eius supellectilem discrepantis scripturae nactus sit, de eo certius iudicium fieri poterit, si meminerimus, quibus causis Bentleius ad Terentium edendum inductus fuerit. Quod enim nomen contraxerat ad Horat. Serm. II, 5, 79 fide data fore ut Terentius aliquando a se ederetur, ut erat his in rebus lentior vir excellentissimus, post quatuordecim annos demum dissolvit et fortasse nunquam solvisset, nisi externae rationes animum eius ad edendum appulissent. Harius enim, ad hoc tempus fere gratia et familiaritate Bentleius usus, anno 1724 insperante nec opinante Bentleio subito Terentium typis tradere ausus criticis et metricis annotationibus instructum, duabus de causis Bentlei bilem movit, cum quod ipse hanc provinciam rei literariae tractandam sumpserat, palam l. l. professus, tum quod Harius rectiorem et accuratiorem rei metricae cognitionem, perraram eo tempore vel in Britannia, ab ipso Bentleio domesticis colloquiis cum eo communicatam habuit eamque dolo et fraude primus in Terenti crisis convertit. His rebus Bentleius Hario graviter suscensens, non cunctatus est quin praestaret, quod olim in se receperat, quo Hari editionem, sua ipsius publici iuris facta, e manibus hominum Terenti studiosorum removeret et plane ad interitum redigeret. Ita factum est, ut non ultra bienni spatium Harium exciperet Bentleianus Terentius, deperperatas quidem, ut ipse in praefat. fatetur, sed et sic novam quasi aetatem in crisi Terentiana et comicorum poetarum omnino incipiens. Ac prodierunt tres, quas equidem novi, Bentleianae editiones Terenti, princeps anno 1726 Cantabr. et Lond. 4, mihi non visa, quam insequenti anno repetendam curavit Westerhovius Batavus Amstelod. 4. Tertia est editio Lipsiensis Reizio hortante post mortem Bentlei emissa 1791. 8, qua in Germania fere utimur. Quibus de editione ipsa expositis si addideris, Bentleium iam ad Tusculanas III, 12, quas anno 1709 edidit, primum rationem bacchiacorum versuum nemini antea cognitam aperuisse, ipsumque Lengio postea codicem Regium utendum commisisse, non amplius dubitabis, quin diu ante Lengii operam ad Terentium emendandum incubuerit librosque scriptos, qui facile a tanto viro acquiri poterant, usurpaverit, quamquam verisimile est, postea Lengii copias eum revolvisse. Accedit quod, quem Lengius codicem Dunelmensem dicit, eundem Bentleius semper alio nomine producit, ut iam hinc concludas, hunc librum aliunde ei cognitum fuisse. Etenim codicum Dunelmensis et Shippeni (qui origine Italicus est et in dissensione utriusque familiae



plerumque a Faerni libris mss. stat) quamquam nulla fit mentio apud Bentleium, tamen eos usurpatos ei fuisse hoc docemur, quod, quam scripturam Lengius ex alterutro solo affert, eandem Bentleius in uno veterrimo vel vetustissimo legi testatur, ut Andr. 2, 2, 15; 2, 6, 11; 2, 6, 20; 4, 1, 12; 5, 3, 23; 5, 4, 8; 5, 6, 7. Eun. 4, 4, 13 et 17. Heaut. 4, 4, 24; 5, 1, 79; Adel. 2, 2, 38 etc. Ex his atque permultis aliis locis simul perspicitur, si comparaveris scripturas a Bentleio excussas cum Lengianis, quam negligenter ille in hoc negotio administrando versatus sit, imprimis in locis difficilioribus, ubi plerumque aut prorsus nulla librorum mentione facta statim coniecturam experitur, aut solos eos libros, quorum scriptura suae sententiae favet, commemorat reliquis silentio praetermissis, cuius rei probandae causa vel unum locum hic indicasse satis erit. Adel. 2, 2, 4. . . . núnquam vidi iniquius

Certationem comparatam quam quae hodie inter nós fuit.

Sic vulgus editionum. At Faernus quum ex Bembino et Victoriano dedisset quam haec hodie, Bentleius ex plerisque suis afferens quam haec quae hodie edidit quam hodie quae inter nós fuit contra omnium librorum fidem. Lengius Dunelmensem et Petrensem (quibus nunc non malae notae liber Halensis accedit) haec hodie habere dicit, C. C. C. Sh. haec quae hodie; de Academico Regiisque uterque tacet. Iam quis non videt quae ex interpretatione esse additum et Bemb. Victor. Dunelm. Petr. veram exhibere scripturam, praesertim si meminerit Phormionis versus 2, 3, 12

En úmquam cuiquam cóntumeliósius

Audístis factam iniúriam, quam haec ést mihi?

Etsi enim Bentleio concedendum est, si quae vera Terenti manus esset, hodie ictu erigendum ideoque transponendum fuisse, tamen, si, ut par est, ex librorum fide haec restituimus, tantum haec vox pondus et vim habet, ut hodie non possit non descendere in thesin.

Sed cum saepe Bentleius optimorum librorum scripturas reticeat, ne alterius sibi probatae fidem minuant, nobis res difficillima est ex paucis scripturis allatis praestantiam et antiquitatem unius alicuius codicis a Bentleio adhibiti cognoscere, ac vellem vel ad unam scenam suorum librorum Mss. discrepantem scripturam integram adiecisset, ut, quales illi essent et quomodo inter se differrent, plenius et accuratius a nobis iam dici posset. Verissimum igitur est, quod Ritschellius l. l. p. 9. queritur: „nullumdum Terenti librum ms. (praeter unum Halensem<sup>1)</sup>) ita a quoquam esse collatum, ut certum et plenum, pauci, ut aliquod de eorum indole iudicium fieri possit.“ Quid enim possis iudicare de codice, cuius triginta vel quadraginta per sex fabulas scripturas allatas habeas? praesertim cum Bentleius libros suos non semper nominatim afferat, sed in universum egregio vel antiquo cuidam scripturam aliquam deberi dicat, ut nisi ex Lengianis copiis nomen peti potest, plane incerti haereamus, utrum egregius iste sit ex numero illorum, quos alibi nomine addito laudat, an omnino careat certo nomine apud Bentleium. Comparavi igitur testimonia Lengii cum scripturis a Bentleio traditis et auxi plerumque discrepantem illorum Bentlei librorum quos et Lengius usurpavit. Quae cum ita sint, qua alia ratione expedire possim horum codicum recensionem nisi ut collatis omnibus uniuscuiusque scripturis et iudicio de singulis facto quantum fieri possit de eorum virtute disputem. Terenti fabulas e Bentlei editione assero, Plantinos autem versus partim ex vulgata Gronovi, partim ex Ritscheli et Fleckeiseni recensionibus laudare me scito.

1\*

<sup>1)</sup> quem integram descriptam haberi constat in editione Halensi 1811 a Brunsio vulgata.

Agmen igitur ducat

### I. Codex 900 annorum.

Quem cum Bentley modo „nunc inter Academicos“ (Andr. 4, 4, 54) relatum, modo „nunc in Bibliotheca publica“ (Eun. 4, 7, 19) asservari praedicet, noli propterea de duobus diversis libris cogitare; publicam enim et Academicam Bibliothecam eandem esse vel ex editione Cantabrigiensi Lengi p. 477 disci potest. Id tantum ex Bentley verbis concludimus, codicem privati nescimus cuius hominis fuisse, antequam in publicam Bibliothecam migraverit. Verrimum codicem Bentley visum esse hinc colligimus, quod diserte addit, quo saeculo perscriptus sit, ut vel vetustas fidem ei faciat. Omnium autem veterrimum non habuit, siquidem, quem Andr. 4, 1, 12. Heaut. 4, 2, 24 hoc honorifico titulo appellat, Dunelmensis est, ut ex Lengi congerie intelligitur.

Ex viginti quatuor scripturis, quas Bentley debemus, septem sunt verissimae, quae et aetatem et indolem genuinam libri satis comprobant.

- (1) Heaut. 3, 1, 1 luciscit; deteriores libri lucescit.
- (2) ib. 3, 1, 48 pytisando; dett. pytissando.
- (3) Adel. 3, 2, 26 animam recipe; dett. animum r.
- (4) ib. 4, 1, 12 in mentem est, dett. in mente est.
- (5) Phorm. 1, 4, 15 quam insistam viam; dett. qua insistam via.<sup>2)</sup>
- (6) ib. 1, 4, 52 deficias; dett. deficies.
- (7) ib. 5 3, 9 virum me natum vellem; dett. natam. In quibus scripturis omnibus solum fere Bembinum consentientem habet. Sed alias quoque, ubi de Bemmino nihil contestatum habemus, aut veram scripturam aut vestigia eius servavit, velut:
- (8) Adel. 1, 1, 16 dissimilis studio est (vulgus librorum dissimili stud.) ex quo recte Ritscheliuss effinxit proll. in Trin. p. 119. dissimili is studio est.
- (9) ibid. 3, 3, 68 in fine versus habet o Demea, cum reliqui exclamationis voculam omittant.
- (10) ib. 3, 4, 5 de Psaltria hoc audivit, reliqui hoc cf. Bentl.
- (11) Hec. 4, 4, 1 verba sic transponit ut et verus accentus servetur et voculae tibi legitima mensura reddatur. Ad hunc quoque codicem spectare videntur, quae Bentley
- (12) in Eun. 4, 4, 17 dicit: unus notae optima, nunc Academicus, Eoiei, quae interiectionis forma et huic loco et Plautinis aliquot versibus ex librorum fide restituta est.
- (13) Phorm. 4, 3, 38 scriptura quantum voluit et inter lineas libuit aperte ostendit, nec voluit nec libuit Terentio deberi. Recte igitur Bentley Guyeti Galli (hic enim, id quod Anglus nos celat, auctor emendationis) rationem secutus est.

<sup>2)</sup> Perperam Bentley et h. l. et Eun. 2, 3, 3 ubi eadem verba leguntur, optimos libros posthabuit „rectius“ [qua-via] inquit, „vel ob hoc, quod non habeamus am ter repetitam.“ Sed ὁμοιοτέλευτον non vitatum esse evincunt tales versus ut Amph. 348

Égo tibi istam hodié scelestam conprimam linguám . . . Cistell. III, 17 Nam hercle iam ad me adglutinandam totam decretumst dare. Men. 300 Qui amicam eram meam habeas. Curcul. 702 dicam meam sententiam. Accedit, quod, si modo fidem optimis libris habemus, accusativus solus in hac locutione usitatus fuisse videtur, nam et Plaut. Mil. Gl. 793 habet Erro quam insistam viam, nec quidquam discrepantis ibi scripturae Ritscheliuss invenit.

(14) Andr. 4, 4, 54 scriptura voluimus versum persanat, volumus, quod reliqui offerunt, pessumdat.

(15) ibid. 5, 4, 25 iudicium non certum est; prior codicis manus poetae verba servasse videtur, interpolavit altera, cf. Bentl.

Attamen non omnes huius libri scripturae tanta se praestantia commendant; non paucae exstant, quae aut scribae errores ostendunt aut interpretationis vel corruptelae vestigia aperiant, quamquam non uno loco iudicium fluctuat.

(16) Phorm. 4, 1, 14 reliqui codd:

visum est mi, ut eius temptarem sententiam.

Cod. 900 annorum prius eius, quo Bentley sic utitur: ut eius temptarem prius sententiam. Videtur tamen prius ex interpretatione, natum, cum plurimi libri eam vocem ignorent inque ipso illo codice non eo loco, quo versum Bentley sanare videbatur, perscripta sit. De molosso pede cum duplici accentu temptarem non erat quod hoc versus loco negotium exhiberet Bentley, vide non modo Lindem. in Amphitr. 1, 2, 28 sed et Ritschel. parerg. I. p. 22 et Prolegg. p. 214.

(17) Heaut. 5, 1, 14 correctoris manum prodit: harum rerum, quae sunt dictae Bentley male probante; recte enim reliqui dicta. cf. Haase in Reisig. p. 311. not. 326. Sic et

(18) ibid. 5, 3, 6 exhibet facias, quod calidius Bentley arripuit pro reliquorum faciam, quod aptam sententiam efficit. Sostrata enim si scivisset, quae Cliniae videretur esse amica, eam revera esse Clitiphonis, obque eam causam Chremetem timere, ne Bacchis se ebiberet et exederet, non dixisset, qualia leguntur v. 3. Dicit igitur Chremes: nescis, quam obrem id faciam, nam ignoras plane, qua de re agatur.

Scribae mendas in his deprehendas:

(19) Heaut. 3, 1, 43 satrapas si siet quo Bentley abutitur ad formam satrapa inferendam, quae dum aliunde fidem inveniatur, vulgaris satrapes interim tenenda erit.

(20) Eun. 4, 7, 19 armas sapientem decet pro armis, etsi Bentley exinde arma coniecit suffragante Boettigero in specim. edit. Terenti. Simili modo diversas casus iunctos habes Men. 779

Lóquere, uter meruistis culpam, paucis, non longós logos. ubi pariter atque arma Bentley unus liber interpolatus pauca praebet.

(21) Heaut. 1, 1, 70 incerti pro incerto.

(22) Phorm. 2, 3, 9 integer versus intercidit.

(23) ibid. 3, 2, 41 stercilinium repugnante metro.

(24) ib. 3, 3, 16 consentit in scribae menda cum Bembino.

En habes omnia testimonia, quae Bentley ex hoc codice attulit, quae quidem suadere videntur, ut eum inter meliores referamus, qui ex Calliopiano fonte fluxerunt.

Sequatur

## II. Codex Collegi Corporis Christi,

ex quo uberiores aliquanto scripturas nobis impertivit Anglicus criticus, quarum hasce praestantissimas praepono.

(1) Andr. 2, 6, 20 est obsonatum cum Dunelm., reliqui est obsonatus. Alterum



- Bentleius recepit et propter dicendi usum comitorum et motus auctoritate duorum librorum, qui proxime accedunt ad dignitatem Bembini hac in parte fabulae deficientis.
- (2) *ibid.* 3, 5, 9 om. iam cum Dunelm.
- (3) *ib.* 4, 3, 5 bene laborem pro deteriorum dolorem.
- (4) *ib.* 4, 5, 12 adtuli cum Prisciano, recte et probante Rittero a Bentleio receptum; reliqui, ut videtur, omnes adpuli.
- (5) *ib.* 5, 2, 9 introivi pro introii, quod suo iudicio comprobavit Ritschelius in Prolegg. p. 160.
- (6) *ib.* 5, 3, 23 at tandem cum Bemb. Vatic. Dunel. male a Bentleio neglectum, qui omnino de hoc et praegresso versu non probabilia protulit et Terentio intulit; veram scripturam Ritterus ex libris restituit.
- (7) *ib.* 5, 4, 6 de interpolatum om. cum Dunelm.
- (8) *ib.* 5, 4, 19 audierim cum Bemb., reliqui male audieris.
- (9) *ib.* 5, 4, 25 om. tibi, quod reliquis de glossa adhaesit.
- (10) Eun. 1, 3, 84 interclaudier cum Dunelm. et antiquis Faerni.
- (11) *ibid.* 2, 2, 6 en; reliqui pessime hem.
- (12) *ib.* 2, 3, 58 egregie quaeso, reliqui quae sit.
- (13) *ib.* 4, 4, 17 eo tibi codices plerique omnes; versus autem cum ita tantum stet, ut aut eo aut tibi expungatur, illud cum Bembino et Nonio Faernus, hoc cum C. C. C. et Dunelm. et Servio Bentleius instituit. Apparet autem utriusque familiae capita h. l. discrepare. Equidem a Bembino Nonioque stare satius duxerim.
- (14) *ib.* 4, 4, 32 sanat versum omisso verbo igitur.
- (15) *ib.* 5, 1, 79 pro deridiculo, soli ut videtur, Dunelm. et CCC, reliqui versu invito pro ridiculo.
- (16) Heaut. 2, 4, 21 ingenium frui cum Bembino, omnes reliqui e corr. ingenio.
- (17) Adel. 5, 8, 19 omittitis cum Dunelm. et antiquis omnibus Faerni; recentiores omittis.
- (18) *ib.* 5, 9, 28 prolubium cum Vaticano Faerni et aliis; reliqui proluvium.
- (19) Hec. 5, 2, 2 quin quod est egregie pro reliquorum quin quod opus sit.
- In quibus quae posui sub 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 10. 13. 15. 17. 18. e Lengio me petiisse scito.

Non probandas censeo has scripturas:

- (20) Heaut. 2, 3, 76 si sinas, dico, unde Bentleius si sinis, dico, sed cf. v. 138 abeas, si sapias.
- (21) Hec. 4, 4, 100 itidemque cum vulgata, sed reliqui omnes idemque, quod et ipsum bene habet.
- (22) Phorm. 1, 2, 44 visa est; ceteri visum est, quod Bentleio paene soloecum videbatur, sed cf. Haase in Reisig. §. 190. 2.
- (23) *ibid.* 3, 3, 24 eloquere; sed reliqui non minus bene loquere.
- (24) Andr. 1, 5, 2 hoc cum Donato non male, sed ut cedere oporteat reliquorum summo consensui haec.
- (25) Adel. 2, 2, 4 cf. quae diximus pag. 3.
- (26) *ibid.* 5, 9, 18 primam male cf. Bentl.

(27) Phorm. 1, 4, 1 aliquod iam Bentleio probante; contra Faerni libri antiqui iam aliquod; quod verum. Sed aliud vitium hunc versum inquinat, nec enim reperis, quod Faerni libri produnt, nec repereris, quod Bentlei libris debetur, teneri potest; reperis enim primam corripit, repereris producit (ut omnes formae quae a perfecto originem accipiunt,) cum in priore ratione longa, in altera brevis requiratur. Sic igitur scribendum videtur:

Núllu's, Geta, ni iam áliquod tibi consilium celere réperies.

Ita et Menaech. v. 683 cum Z et Prisciano corrigendum puto. Ceterum bis in ultima acutum Getá in annotatione Bentlei vitium typhotetae est in edit. Lips. — Aliquoties et alterius manus scripturam

(28) Bentleius allegavit ut Andr. 2, 2, 15 scies, quum et prima manus et omnes alii exhibeant scio quod, utut cum logicis rationibus pugnare videtur, tamen vulgari sermoni eorum, qui sunt de plebe, apprime convenit.

(29) Adel. 3, 3, 79 recta sec. m. cum Bembo, prior manus et plerique alii corrupte recte.

Non raro in hoc libro verba poetae alio atque in reliquis ordine collocantur, quem vereor ut Bentleius satis circumspecte plus semel adoptaverit, veluti

(30) Eun. 1, 2, 89 non debebat hunc unum cod. sequi, nec

(31) Hec. 2, 3, 3 erat cur vir nunc ictu efferretur; multo enim commodius nunc et anteponitur et ictum recipit, cum hoc sibi velit mulier: nunc quidem quod me accusat vir, sum extra noxiam.

(32) Propensior sum Phorm. 1, 3, 20 ad praeferendam huius libri scripturam plerique omnes sumus ingenio prae reliquorum ratione plerique ingenio sumus omnes, et propter insuavem dactylicisque magis convenientem accentum ingenio et propter insolitam disiunctionem verborum plerique omnes.

(33) Eun. prol. 17 huius codicis verborum ordinem Bentleio non fuisse amplectendum evicit God. Hermanni iudicium in opusc. tom. II.

(34) Etiam Phorm. 4, 3, 33 omnes reliquos libros sequi tutius existimo, cum verbi est correctio omni offensione careat.

(35) Postremo Eun. 3, 5, 2 etsi Bembinum (si fides Bembo, nam tacet Faernus) habet socium, exhibens medio senario mihi licet, tamen reliquorum ordinem licet mihi retinendum duco, cum in altera insuetus accentus aures quasi verberet. Et ipse Bentleius Andr. 3, 2, 8 veritus est Terentium diutius foedare passus non est. Neque in Plauto talia tolerantur, nisi in anapaesticis et octonariis iamb. et troch. versibus, etsi et Pseud. 185 ut nomine quemque appellem suo recte fortasse reponi iussit Fleckeisenus in praef. editionis Teubnerianae pag. 27 ut suo quemque appellem nomine.

(36) Nolo denique praetermittere, codicem Phorm. 2, 1, 8 aliter atque vulgo nec improbabiler, ut Bentleio quidem visum, personas distinxisse.

Afferuntur etiam, quae vel scribae errori et negligentiae vel interpretationi tribuere non dubites.

(37) Andr. 3, 2, 26 tu male intercidit.

(38) ib. 4, 2, 15 glossa expulit genuinum resipisco.

- (39) Eun. prol. 25 et om., quod acutum et defensorem et interpretem invenit Ritschelium in parerg. I. p. 99—104.
- (40) ib. 2, 3, 84 es pro est calami errore, quo Bentleius abutitur ad coniecturam recipiendam, bonam illam quidem sed inutilem. Item erratur
- (41) Heaut. 1, 1, 70 inerti a pr. m. pro incerto.
- (42) ibid. 2, 3, 30 assentiri non possum Bentleio ex uno regio et hoc CCC ex ipsa pro ipsa scribenti. Multo minus probo formam itere pro itinere, quam libri agnoscunt et h. l. et Phorm. 3, 3, 33 (63 erratum est in edit. Lips.). Iteris et reliqua neque in Plauto neque in Terentio legi videntur, neque id mirandum, cum nominativus itineris multo usitatior sit illa aetate quam altera forma. Accentus autem itinere Phorm. 3, 3, 33 suspicionem movere non debet; etsi de his quadrisyllabis vera in universum Bentleius praecipit, tamen ex eo, quod solet fieri, nulla corrigendi necessitas deduci potest. Itaque neque Heaut. 2, 3, 35 aperit inferendum fuit pro aperuit. Exempla quadrisyllaborum cum accentu in secunda larga manu promere possum, sufficiant haec: Adel. 1, 1, 12 ceciderit (quamquam hoc aliam ob causam tentatum Ritschelio in Prolegg. p. 120). Hec. prol. II, 39. recidere. Phorm. 1, 2, 19 supéreat; ib. 1, 4, 33 propémódum (nisi Bembini fidem sequi males); Eun. 2, 3, 24 hábitior. Adel. 3, 3, 37 facilitas. Hec. 4, 1, 55 misériis. Heaut. prol. 22 malévolus; ib. 2, 3, 22 misérior. Sed Hec. 4, 3, 1

Quém cum istoc sermónem habueris, prócul hic astans ácepi, uxor ex codicum memoria versus est iambicus, ut duo qui hunc excipiunt:

Quem cum istoc sermonem hábueris, prócul hinc staus acepi, uxor, Amphitr. 875 iniciam. Poen. 1, 2, 87 malitia. Mil. gl. 49 memória, ib. v. 68 miséria; ib. 229 recíperé, quamquam praeferenda mihi videtur a Fleckeiseao nuper inita ratio Túte hoc si unus recíperé ad te dicis etc.<sup>3)</sup> Capt. 190 holéribus; ib. 282 abii-mus tamen praesenti tempore scribendum esse evicit Fleckeisenus exercit. Plaut. p. 9 sq. et 29; ib. 538 repévero; ib. 586 redímere; ib. 625 repéries. Asin. 3, 1, 17 familiae; ib. 3, 3, 135 inópia. Aulul. prol. 27. 33; 4, 1, 10. Pseud. 285. Rud. 26 facilius. Aul. 2, 5, 18 perierit (ubi Δp perraro exemplo periverit) ib. 3, 6, 6 meminierint. Pseud. 590 facinora. Poen. prol. 118 relicuom (male vulgo reliquom.) Merc. 2, 3, 80 familias; ib. 4, 5, 9 familiae; ib. 3, 4, 72 cupiditas; ib. v. 77 abierit. Rud. 15 reférimus; ib. 696 Amph. 684 recípias. Stich. 496 reliquii. Amph. 269 malitia; ib. 1060 misérior, ib. 1065 propítius. Asin. 1, 3, 80 relicuom, sed versus est corruptius, quem Fleckeisenus exercit. Plaut. p. 14 tentavit, non persanavit, sic codicum fidem secutus:

Nón omnino iám perii: est relicuom, quo pereám magis.  
In quo displicet et plane in thesi depressum perii et caesura neglecta. In promptu esset legere:

Nón omnino iám ego perii: est réliquom quo pereám magis  
si forma reliquom unquam a Plauto adhibita probari posset, cui merito restituit Ritschelius quadrisyllabam relicuom in fabulis adhuc emissis. Vide igitur an sic poetae manum assecutus fuerim:

<sup>3)</sup> quam nunc ab ipso Ritschelio commendari video in curis secundis v. praef. in Stich. p. 17.



Nón omnino iám ego perii: est etiam, quo pereám magis.

Idem reliquom invenies Cistell. 1, 3, 40; 2, 1, 39 etc. —

- (43) Adel. 4, 4, 22 CCC. exorasse scribae lapsu pro exorassem.  
 (44) Hec. 5, 2, 25 omittit cum Bembino, quia ab eodem verbo quo proxime praecedens inchoatur.  
 (45) Phorm. 2, 1, 12 om. exsilia male, etsi Bentleio probante.

Ex Lengio haec adiicio:

- (46) Andr. 4, 4, 15 an haec tu omnia, ex quo Bentleius an ne haec t. o., cum Faernus reliquisset an ne tu o., quod non solicitandum videtur.  
 (47) Adel. 3, 3, 43 coeperit cum paucis aliis; reliqui coeperet, quod, antiquitatem nimirum redolens, recepit Bentleius.  
 (48) ibid. v. 48 qui cum Bembino, quod cum Bentleio repudiandum non duco. Is quem egomet produxi praefert, quia sequatur mox iratum, sed quis non videt, si qui egomet produxi inchoaverat Syrus, etiamsi eum cogitatione non addamus, non potuisse eum pergere nisi per accusativum?

Habes hic quadraginta octo scripturas quas et Bentlei et Lengi parca liberalitas nobis suppeditavit. Non parvi hunc librum a Bentleio factum esse ex eo intelligitur, quod variis honestis nominibus apud eum circumfertur. Primarium dicit in Andr. 2, 6, 20; veterimum ib. 3, 5, 9; Eun. 1, 2, 84; 5, 1, 79; vetustiore Andr. 5, 3, 23; bonae notae Andr. 4, 5, 12. Adel. 5, 9, 28; singularis notae Eun. 2, 2, 6; optimae notae Phorm. 1, 2, 44; quae omnia substituuntur ipsi codicis nomini, quod e Lengio supplevimus. Ceterum dimidia fere pars scripturarum tam commendabilis est, ut mihi quidem hic liber praeeo, de quo antea disseruimus, aliquanto praefendus videatur.

Recenseatur nunc

### III. Codex Petrensis.

- (1) Andr. 2, 1, 20 in versu corrupto Petr. et Regius certam emendandi viam ostendunt, qua usus Bentleius verum reduxit.  
 (2) ib. 2, 1, 33 reddixti, unde Bentleius redduxti, calami error est; vulgata scriptura reddidisti, quae sane ex ratione prosodiae vitiosa est, orta mihi videtur ex reddismi, perperam a librariis geminata syllaba di, cuius modi mendae, in uno aliquo libro commissae, saepe per omnes deinceps propagantur.  
 (3) ib. 3, 3, 16 servat eum verborum ordinem, quo hiatus tollitur, dudum reponi iussum a Guyeto.  
 (4) ib. 4, 1, 6 paulum recte; reliqui paululum cretico labante.  
 (5) ib. 5, 4, 28 om. tum recte.  
 (6) Eun. 2, 3, 81 tu om., quod quanquam sine dispendio et versus et sententiae desideratur, tamen reliquorum librorum fide satis defenditur.  
 (7) ib. 4, 3, 11 rogasne errore pro rogas me.  
 (8) ib. 5, 8, 55 verso; reliqui Bentlei libri volvo, quod suo iure restituit, quum tacente Faerno nesciret, id quod nos ex Coquellini testimonio comperimus, Bembinum quoque verso exhibere, quod sine dubio reducendum est.

- (9) Heaut. 3, 2, 27 quippe qui cum melioribus Bentlei.  
 (10) ib. 3, 3, 39 vah bene cum Faerni libris; Bentlei plerique hoc.  
 (11) Adel. 3, 2, 26 se, quo si Bembini etiam ducit, recte pro sibi.  
 (12) ib. 3, 3, 85 om. est, quo iniecto versus iugulatur.  
 (13) Phorm. 2, 4, 5 solus om. tu, quo numeri corrumpebantur.  
 (14) ib. 3, 2, 39 quoad solus eleganter quidem, sed ut quam ad (diem) non minus bene habeat.  
 (15) ib. 3, 3, 24 tibi opportune expungit.  
 (16) ib. 5, 9, 22 cum hoc isto; bene isto, male tamen hoc cum reliquis addens.  
 (17) Adel. 2, 2, 4 cf. pag. 3.  
 (18) ib. 5, 9, 18 prima optime cf. Bentl.

Non raro verborum transpositiones Bentleius ex hoc libro affert:

- (19) Andr. 1, 5, 22 saltem ineptam, reliqui ordine inverso. Equidem non ausim cum Bentleio unum hunc librum omnibus reliquis antepone.  
 (20) ib. 2, 5, 14 cuiquam homini tollit invenustum medio versu accentum. Sic et  
 (21) ib. 3, 2, 8 veritus est commode suppeditat Petr., cum veritus est inauditum sit Terentio, cf. II. 35.  
 (22) Eun. 4, 4, 35 eiusdem libri ratio perperam incidi iubet in sobriam.  
 (23) Heaut. 4, 6, 12 videtur veram ordinem solus servasse, ut et  
 (24.25) Hec. 5, 2, 2 et 5, 4, 5.

Non paucae scripturae scribam interpolatorem prodere videntur.

- (26) Andr. 4, 1, 41 omnes cum hiato factum; solus Petr. factumst, sed hiatus et mutata persona et maiore interpunctione satis excusatur, nec displicet participii tanquam praefracta brevitatis, quae obvia etiam Adel. 4, 2, 22; Hec. 5, 4, 6; quode cf. Ritschel. Proll. ad Trin. p. III sqq.  
 (27) Eun. 3, 5, 43 om. ita probante Bentleio.  
 (28) Adel. 3, 1, 3 nusquam, a Bentleio receptum; sed reliquorum numquam satis probum, increpat enim Canthara Sostratam, quod ita se gerat, quasi ne semel quidem i. e. numquam partibus adfuerit.  
 (29) ib. 4, 4, 22 exorasse, quode cf. II. 44.  
 (30) Hec. 3, 3, 11 propere intercidit.  
 (31) ib. 5, 2, 25 om. integrum versum, cf. II. 45.  
 (32) Phorm. 2, 3, 9 in margine tantum adscriptum habet.  
 (33) ib. 3, 2, 14 imprudentem, a Bentleio commendatam, quia non conveniat adolescentem liberum et tantae familiae a lenone impudentem (sic enim reliqui libri) dici. Nempe oblitus erat summus vir Andr. 4, 2, 27 ubi Davus erum Charinum impudentem appellat, nibili enim facienda Vaticani (de quo Coquelinii beneficio cognitum nobis est) discrepans scriptura imprudens, nec magis Bentleium sequor Hec. 2, 1, 16 imprudentia pro impudentia (est autem hoc mariti irati convicium in uxorem) ex paucis quibusdam libris rescribentem.  
 (34) Phorm. 4, 3, 60 ancillast Bentleio probante, non recte opinor. Reliqui enim codices: Uxori emunda ancillulast: tum autem pluscula versu iustos numeros excedente, quare Faernus, ut ait, ex omnium suorum librorum

et Prisciani fide autem expungit, Bentleyus autem, cuius libri universi autem tenerent, hoc servato ancillast ex cod. Petr. scribere maluit. Sane nunc novimus ex Coquolino, non omnino vera Faernum de suis codd. retulisse, Vaticanus enim habet autem, sed propterea magis etiam adducor, ut credam, Bembinum certe, de quo tacet Coquelinus, autem ignorare, quod facilius addi a librariis potuit, quam ancilla depravari in ancillula. Petrensis igitur liber interpolatoris manum passus videtur.

His Bentleyi testimoniis adiungo, quae ex Lengio suppleri possunt.

- (35) Andr. 4, 1, 57 quem cum vetustioribus pro vitioso in quem.  
 (36) ib. 4, 3, 5 laborem cf. II, 3.  
 (37) Andr. 4, 4, 45 cf. II, 47.  
 (38) ib. 3, 3, 6 per ego te deos numeris corruptis cf. V, 6.  
 (39) Eun. 4, 4, 7 istum huc solus pro istum huc quod versum corrumpit.  
 (40) ib. v. 11 solus om. hic quod versum impedit.  
 (41) Hec. 3, 5, 35 pulsus cum Dunelm. et duobus aliis Bentley; reliqui impulsus, quo versus iusto longior evadit. Eisi Bentleyus pulsus correctori tribuit, tamen hoc tenendum censeo, donec Faerni (plane h. l. tacentis) libri plenius excussi sint. Accedit quod in uno Vratislaviensium itidem pulsus exstat, unde probabile est, in pluribus etiam, de quibus nihil adhuc contestatum habemus, simplex inventum iri. Praeterea in eodem versu siem, quod Coquelinus ex Bembinio affert, non cum Bentleyo in sim mutaverim.  
 (42) Phorm. 1, 4, 13 convasissem cum optimis levi menda pro convasassem.

Procul dubio et hic liber in vetustioribus et melioribus numerandus est pacique fere et antiquitate et bonitate cum illo 900 annorum, quamquam nec codicis CCC praestantiam aequare videtur neque scripturae eius nobis tam saepe quam Bentleyo probantur.

Perlustratur nunc

#### IV. Codex Academicus.

Non eundem esse atque illum, de quo primo loco exposuimus, qui et ipse in Bibl. publ. Acad. relatus est, elucet non tam ex eo, quod hunc Bentleyus dicit nuper Academicis insertum et nusquam affert nisi aetate addita, quam quod nulla omnino utriusque scriptura concordat, ut ex Lengi et Bentleyi collatis testimoniis intelligitur.

- (1) Andr. 1, 5, 58 Sive haec te cum Regio, Donato et Prisciano vere; sive te haec, quod ex reliquis nuper Ritterus reduxit, indignum est Terenti acte.  
 (2) ibid. 5, 6, 1 Ego sum Pamphilus non probabiliter, si recte sequor Ritterum, quem adeas.  
 (3) Eun. 2, 3, 11 que om. solus, in quo Bentleyus obsecutus est, fortasse recte, etsi etiam omnes, quod in Bentleyi libris sedem variat, omitti potest et omisit Faernus, sane de suis libris ne tantillum quidem mutans, ut nonnulli certe hoc vocabulo carere possint.  
 (4) ibid. 4, 6, 7 a sec. m. qui quaeso istuc? cum Regio chartaceo praecclare confirmans Acidali (is enim est vir doctus quid Bentleyum<sup>4</sup>) emendationem; reliqui insulse qui? quasi istuc.

<sup>4</sup>) quamquam alibi semper Harium dicit virum doctum, nomine cum contemptu suppresso.



- (5) *ib.* 4, 7, 41 a pr. m. quin redimus fortasse recte; reliqui quin redeamus.
- (6) *Heaut.* 4, 5, 50 aucta cum uno *Regio* perbene; reliqui acta.
- (7) *ib.* 5, 1, 10 om. *Chremes*, *Bentleio* probante, nescio an recte; videtur autem versus non levem corruptelam passus esse.
- (8) *ib.* 5, 4, 7 iterat ex metro restituito, etsi licet etiam ut tu ex me atque hoc natus es corrigere.
- (9) *Adel.* 3, 2, 24 expeto verissime; reliqui expecto; cf. praeter *Eunuchi* a *Bentleio* laudatum versus etiam *Hec.* 2, 3, 7 cum nota eiusdem.
- (10) *Phorm.* 1, 3, 24 ius vere cum tribus aliis; reliqui eius, sensu non malo quidem, sed ictu non tolerando.
- (11) *ib.* 5, 1, 26 isti inquam ipsi probatum *Bentleio*; mihi secus videtur. Plurimi codices: *Harum* qui est dominus aedium. C. *Antiphonine*? S. *Hem*, — isti ipsi improbante *Bentleio*, quia *hem* sine *synaloepha* stare nequeat. Praeterea *hem* *Sostratae* parum convenire videtur, quod si *Chremeti* damus, et particula est aptissima miranti seni et hiatus in legitimis habendus. Scribe igitur: C. *Antiphonine*? *Hem*. S. isti ipsi. Suas quoque habet hic liber verborum collocationes.
- (12) *Andr.* 1, 1, 68 scias posse iam habere ipsum suae vitae modum. Reliqui scias p. habere iam ipsum, ut iam non sit in ictu, contra ac *Bentleius* sensit, ut ipsum plenum ictum et solidum pondus recipiat.
- (13) *Heaut.* 5, 1, 52 facte esse patrem sentiat; quod recepit *Bentleius*, ut patrem in ictu haberemus, qua in re humani aliquid vir acutissimus passus est. Tritissimum enim hodie est, patris et quae inde veniunt, numquam prima producta nec in *Plautinis* nec in *Terentianis* fabulis legi, nisi forte in iis versibus, quos *Bentleius* hac macula affecit, qui hanc legem nondum observaverat, cf. *Ritsch. Proll. in Trin.* p. 128.
- (14) *Adel.* 2, 2, 42 scio non te esse usum non male quidem et recipit adeo *Bentleius*, sed perperam opinor. Apparet enim ex *Bembini* scriptura, quomodo latius paulatim corruptela serpsit. Ille enim exhibet verissime scio te non usum, alii esse adiacentes scio te non esse usum, quam scripturam *Academici* librarius arti quidem convenienter in numeros redegit scio non te esse usum.
- (15) *Adel.* 3, 3, 85 est alieno loco positum habet.
- (16) *Phorm.* 4, 5, 9 ipsi praeponit, fortasse recte. Exstant praeterea non paucae huius cod. scripturae bonae per se, sed in consensu reliquorum vix magni faciendae.
- (17) *Andr.* 3, 3, 17 *Pamphiloque* ego sim pater, quod *Bentleium* non recepisse miror, qui dativum ex coniectura et praeter necessitatem induxerit *Eun.* 5, 4, 30. *Heaut.* 4, 1, 49. *Hec.* 4, 1, 56.
- (18) *ib.* 5, 4, 48 propere; sed praestat reliquorum consensus propero.
- (19) *Eun.* 4, 1, 3 om. *Chremes* *Bentleio* probante.
- (20) *ib.* 4, 2, 7 venio cum duobus *Pall. Parei*, qui cum non sint bonae notae, facilis coniectura est, meliores esse libros, qui veni exhibeant.
- (21) *ib.* 4, 4, 32 consentit cum *Bembino* in spurio, ut videtur, versu expellendo, cf. *Bentl.*
- (22) *Hec.* 5, 2, 32 refertque sine dubio scribae errore. Nihil profecit hic *Bentleius*; scribendum videtur:

Referet ei gratiam, una nos sibi opera amicos iunget  
 Ut enim Bembini et Victoriani auctoritate edocti sumus, prius que insitium esse, ita alterum quoque (in libris enim unaque est) nostro iure delemus, ut tota oratio per asyndeta decurrat.

Deteriores scripturas has affero:

- (23) Andr. 4, 3, 13 iureiurando cf. Bentl.
- (24) ib. 5, 3, 15 autem additum est de glossa.
- (25) ib. 5, 4, 52 a tita iussi quod fraudi fuisse Bentleio docet Ritterus in h. l.
- (26) ib. 5, 5, 2 licet errore pro lubet. Sic et
- (27) Eun. 1, 2, 14 vili pro nihili. Et
- (28) ib. v. 24 varium pro vanum.
- (29) ib. 5, 6, 20 patri ex interpretatione adiectum.
- (30) Hee. 3, 5, 27 sese om.
- (31) ib. 4, 2, 5 „pro varia lectione“ ante quem ἀνακλούθως.
- (32) Phorm. 1, 4, 2 me cum Donato pro te cf. Bentl. Equidem auctoritati reliquorum codicum credendum esse existimo, transitum ad primam personam tertio demum versu institutum esse, neque in transitiva structura verbi impendere offendo, cum Freundio teste in lex. s. h. v. et Lucretius et Lucilius sic dixerint, apudque Plautum simile quid exstat Poen. 4, 2, 96 tantum eum instat exiti.
- (33) ib. 1, 4, 13 conrasissim male pro convasassem. Illa scriptura recepta Bentleius non bene Terentio consuluit.
- (34) ib. 5, 6, 9 hodie ex glossa addit.

Viden iam ex hac scripturarum congerie, quam parum recte statuerit Boettigerus, alterius codicum mss. familiae caput esse hunc Academicum Cantabrigiensem? quo quidem nisi praestantiores certe nihil deteriores iudico, quos supra examinavimus, codicem 900 annorum, Coll. CCC., Petrensem. Quamquam non magnopere miror, tale iudicium a viro praestantissimo factum esse, qui quum in re critica totum se Bentleio emancipasset, omnes paene ex illo libro prolatas scripturas probatas illi vidisset.

#### V. Codex Shippeni.

Quas ex hoc Bentleius scripturas affert, earum nulla est, quin in aliquo eorum quoque, quos iam perlustravimus, reperiat, ut ad illos suo loco recurrere satius sit quam eandam telam retexere.

- (1) Andr. 1, 1, 61 symbolam cf. VI, 1.
- (2) ib. 4, 1, 57 quem cf. III, 35.
- (3) ib. 4, 3, 5 laborem cf. II, 3.
- (4) ib. 4, 4, 5 an haec tu omnia cf. II, 47.
- (5) Eun. 1, 2, 84 interclaudier cf. II, 10.
- (6) Heaut. 3, 2, 27 quippe qui cf. VI, 25.
- (7) Adel. 2, 2, 4 cf. pag. 3.
- (8) ib. 5, 9, 18 primam cf. II, 26.

Quos praeterea Bentleius adhibuit codices ad emendandum Terentium, duo Meadianos, quatuor (nisi plures) Regios, eos hic praeterire praestiterit, cum scripturas eorum pro-

miscue et nullo discriminis indicio adiecto protulerit, ut, ad quem quaeque pertineant, prorsus ignoremus.

Unus tamen restat recensendus, cuius nomen quum Bentleius constanter suppressisset, ex Lengio supplevimus, qui Dunelmensem nuncupat. Quem enim Bentleius in Andr. 1, 5, 2; 2, 2, 16 „primariae notae,“ 2, 6, 20 „primarium,“ 4, 1, 57 „inter vetustiores,“ Adel. 3, 4, 48 „praecipuum,“ Andr. 2, 6, 11; Eun. prol. 28. 4, 4, 17. Adel. prol. 8. „vetustissimum,“ Andr. 2, 3, 21; 3, 5, 9; 5, 4, 38; 5, 6, 7. Eun. 1, 2, 84 et 106; 3, 1, 12; 4, 4, 13; 4, 5, 9; 5, 1, 21. Heaut. 5, 1, 17. Adel. 2, 2, 38; 2, 3, 9; 5, 3, 60. Phorm. 2, 1, 60; 5, 1, 28 „veterrimum,“ Andr. 4, 1, 12. Heaut. 4, 4, 24 „omnium veterrimum“ nominat, eius scripturas praestantissimas apud Lengium quoque deprehendimus hasce:

#### VI. Codex Dunelmensis.

- (1) Andr. 1, 1, 61 **symbolam**, reliqui praeter Ship. ad unum omnes **symbolum**, quod alienam ab hoc loco significationem habet.
- (2) ib. 1, 5, 2 om. solus glossam atque hominum.
- (3) ib. 2, 3, 21 speres cum Vatic. Faerni et Donato; reliqui male speras.
- (4) ib. 2, 6, 11 om. recta cum Vat. et Donato, quibus Bentleius obsequi debebat.
- (5) ib. v. 20 est obsonatum cf. II, 1.
- (6) ib. 3, 3, 6 per te deos oro cum antiquis Faerni; reliqui Bentlei ego addunt, quod versus respuit. Ritterus timens ne omisso pronomine sententia inepta existeret, cum praepositio, si nihil interpositum sit, ad proximum nomen referretur, meliora doceri potuit vel uno Bacchidum versu 4, 8, 64 sine me, per te, ere, opsecro deos immortales, ire huc intro ad filium i. e. per deos ium. te, ere, obsecro, sine me ire etc.
- (7) ib. 3, 5, 9 om. iam cf. II, 2.
- (8) ib. 4, 1, 4 solus ex Bentlei Mss. recte gaudeant, comparent.
- (9) ib. 4, 1, 12 om. glossam non verentur.
- (10) ib. 4, 1, 57 quem cf. III, 35.
- (11) ib. 4, 5, 22 o addito numeros redintegrat.
- (12) ib. 5, 3, 23 at tandem cf. II, 6.
- (13) ib. 5, 4, 6 quare cf. II, 7.
- (14) ib. 5, 4, 39 optime cum Bembino odium; reliqui ex interpretatione odio.
- (15) ib. 5, 6, 7 iam vere pro eam.
- (16) Eun. prol. 28 quo cum vetustissimis Faerni.
- (17) ib. 1, 2, 84 interclaudier cf. II, 10.
- (18) ib. 1, 2, 106 recte personas distribuit, nam bene facis non laudandi sed gratias agendi formula est, quod vide quae congressit Freundius in lex s. v. bene II. b. γ.
- (19) ib. 3, 1, 12 gestare cum solo Bembino.
- (20) ib. 4, 3, 9 ii hinc, unde vera Bembini scriptura in hinc conici certe potuit; reliqui i hinc.
- (21) ib. 4, 4, 13 namque cum Bembino.
- (22) ib. 4, 4, 17 eo cf. II, 13.
- (23) ib. 4, 5, 9 tu cum Bembino; reliqui perperam tum.
- (24) ib. 5, 1, 21 quid illo faciemus? iterum cum Bembino; ceteri illi.



- (25) Heaut. 3, 2, 27 quippe qui cum antiquis Faerni; reliqui quia numeris perversis.  
 (26) ib. 4, 1, 43 animum; primum cum Bembino; reliqui anulum; primo.  
 (27) ib. 4, 4, 24 harum cum Bembino aliisque Faerni antiquis; ceteri harum cum hiatu.  
 (28) ib. 5, 1, 79 pro deridiculo cf. II, 15.  
 (29) ib. 5, 2, 33 in mentem est cum melioribus Bentley.  
 (30) Adel. prol. 8 eripit cum antiquis Faerni.  
 (31) ib. 2, 2, 38 defrudet antique.  
 (32) ib. 2, 3, 9 quine cum Bemb. Vatic.  
 (33) ib. 3, 2, 37 consule cum duobus veteribus Bentley.  
 (34) ib. 3, 3, 43 coeperit cf. II, 48.  
 (35) ib. 3, 3, 48 qui cum Bemb. et CCC; cf. II, 49.  
 (36) ib. 4, 4, 48 parvulis optime cum Bembino.  
 (37) ib. 5, 3, 60 atque ibi favillae egregie, quamquam neglectum Bentleyo, qui sic exarari iussit:

Modo fácito ut illam sérvés.: Ego istuc vídero: atque

Illí favillae pléna ett.

nam aut illi aut illic in omnibus suis praeter Dunelm. et alterum Regium inveniebat; nihil vero de suis Faernus testatum reliquerat, quare ille, cui de praestantia Dunelmensis persuasum non esset, illi tenuit et hypermetro senario Terentium donavit, cuius generis versus vix ac ne vix quidem poeta admisit. Omnem dubitationem tollit praecclarus Bembini (Coquelinio testante) consensus cum Dunelm., ut alterius versus ita posthac initium legendum sit: atque ibi favillae pl. etc.

- (38) ib. 5, 8, 19 omittitis cf. II, 17.  
 (39) ib. 5, 9, 18 prima vere cum Petr. cf. III, 18.  
 (40) Hec. 3, 5, 35 pulsus cum Petr. cf. III, 41.  
 (41) Phorm. 2, 1, 60 horum cum Basilicano Faerni; reliqui cum hiatu horum.  
 (42) ib. 5, 1, 28 quid illam alteram? egregie cum Bemb.  
 (43) Andr. 2, 2, 16 om. sese, recte opinor, nam eodem subiecto continuato solet pronomen omitti cf. Andr. 4, 2, 5 videre ait te cupere. Plaut. Men. 524 Menaechme, amare ait te multum Erotium, ubi quod Ritschelius Bothio duce transposuit te ait, praeter necessitatem factum esse Terenti modo allatus versus evincit. Pseud. 105 spero Tibi inventurum esse auxilium argentarium; inseruit quidem Ritschelius me post tibi sed praeter librorum fidem et necessitatem; si enim, quod equidem puto, exile versus initium cum ad corrigendum impulit, similes passim invenies versus et post Ritscheli ipsius recensionem ut Pseud. 89 mihi émere; ib. 452 tibi áuscultabo. Redeo ad pronomen omissum. Stich. 21 ne fac, quod tibi pater facere minatur. ib. 71 grátiam patris si petimus, spéro ab eo impetrássere, sic enim scribendum videtur codicum scripturis diligenter perpensis. Ambrosianus enim patrisi errore s semel tantum posita habuisse videtur (affert Ritschelius pa . . sipet . . .) reliquorum (Δ@etc.) a patre mera genitivi interpretatio est, cui ansam dedit trita verbi petere constructio. Si pace, quod Ritschelius duce Ambrosiano effinxit, nec satis ex usu loquendi Plautino esse videtur nec reliquorum apparet librorum quomodo scriptura inde oriri potuerit.

ib. 82 nil meruisse arbitror: ib. 265 iam illo venturum dicito. ib. 390 negabam vendere. ib. 564 dixit velle fieri. Cui quidem versui qui praecedit admodum illepidis ictibus circumfertur:

Sênex quidem voluit, si posset, indipisci dé cibo  
quos facile sic emendes:

Sênex quidem voluit, si potesset, etc.

Pleraque harum Dunelmensis codicis scripturarum tam indubitatae sunt tamque Terentianae, ut ita dicam, ut ampliore commendatione plane non egeant. Firmat eius fidem frequens et paene consuetus Bembinus comitatus, firmat ipsa scripturarum bonitas, firmat denique incorrupta manumque interpolatoris non perpessa antiquitas v. 14. 19. 25. 27. 31. 32. 41. Quapropter etiam in iis versibus, de quorum scriptione, absque codicibus esset, ambiguum iudicium sit, non parva Dunelmensi fides addatur necesse est, ut 43. 5. 24. 34. 35. 40. Quamvis paucae igitur ex sex fabulis scripturae huius libri innotuerint, eum non dubito fontem et caput omnium pronuntiare, quotquot in Germania et Britannia codices asservantur. Ut qui novam Terenti recensionem aditus sit, nihil antiquius habendum existimem, nisi ut praeter de novo collatos Bembinum, Victorianum, Décurtatum etiam Dunelmensem plene excutiat. Neque exigua laudem meruerit, qui parvam parvique parabilem Terenti editionem sic instituat, ut ad poetae verba nihil addat praeter horum quatuor librorum scripturam discrepantem continuam, quae locupletem et idoneam materiam praebitura sit de vera poetae manu iudicandi, quo facto deteriorum librorum grege (diu enim est, ex quo de editorum praestantia quadam somnium evanuit) plane carere queamus.

